



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.  
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In  
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.  
VII. Pont. Max.

**Esparza Arteida, Martin de**  
**Lugduni, 1666**

X. Vtrum Virtutes Theologicæ infundantur successiuè?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)



ab amicitia, & inimicitia cum Deo. Quia necessaria insuper est positiva antecessio Gratiæ habitualis, utque hæc operi impendatur, atque in illud influat realiter.

Art. 2. Denique desideratur in primis similitudo antecessionis in utroque extremo illius comparationis, quia merita non sunt priora præmiis temporis antecedentis, ut maternitate, & similibus, immediate per suam entitatem, sed solum, ut præiusta, & acceptata à Deo; cum tamen dispositio habitum, & habitus actû dispositiui, antecedant etiam immediate per suas entitates. Deinde maternitas B. Virginis non fuit principium immediatum actuum Christi potens auferre libertatem eorum, ut dictum est, auferri libertatem respectu dispositionis, per antecessionem habitus. Deficit ergo paritas duplici ex capite.

Ad 4. Multiplicitas eiusmodi decretorum impugnabitur efficaciter in questionibus de Incarnatione. Deinde extrinseca qualiscunque dispositio, & imaginatio decretorum Dei, non potest mutare naturas rerum, sicut potest implicare conceptus hominum, atque deludere. Natura autem eomprincij intrinsecè inhærentis voluntati pro priori naturæ, & impossibilis intrinsecè cum omissione actus, ea est, ut ratione sui auferat indifferentiam voluntatis, cui inhæret. Sicut est natura compedum, ut impediant potentiam deambulatoriam, quam ligant, quamcumque demum voluntate Dei, sine disunctione, siue solum determinata iniiciantur. Denique actus procedens ab habitu essentialiter pendens ab illo determinatè; nec posset præiudicare non indifferentia ad aliud comprincipium loco eius, quia est realiter indistinctus omnis actus intellectus, & voluntatis ab actione, à qua producitur.

Ad 5. Auctoritates illæ non sunt è re præsentis, quia prioritas diuinæ erga nos dilectionis non accipienda est de ea singulorum dilectione habituali, ac permanenti, quia, si nos ipsum diligamus, ad nos venit, & mansionem apud nos facit, ut habetur 1. 4. Ioan. 23. Sed de illa vniuersali, qua mundum minime dispositum, minimeque diligentem; sed contra auertum, & indpositum posituè per peccatum, sic omnibus modis præoccupando, dilexit, ut Filium suum unigenitum daret; ut testatur idem Ioan. 3. 16. & Epist. 1. 4. 9. Deinde ut ea prioritas accipienda foret de amabili erga singulos dilectione, ea quoque verificatur independentem ab influxu habitus Charitatis in actum disponentem. Quia Deus illa ipsa voluntate, qua nobis donat actum Charitatis disponentem, prædiligit nos dilectione vera amabili, utcumque eum donet, siue per auxilium actuale, siue habituale, siue extrinsecum, ut dicitur in questionibus de Iustificatione impij. Ratione eiusdem huius voluntatis verificatur, Deum non diligere, nisi ab habente Deum; quia primum initium habendi Deum, ipsaque prima initialis, ac radicalis habitio constituitur per voluntatem, qua Deus nos diligit. Quod additur in fine de infusione, nihil probat, cum, & auxilia actualia Gratiæ habeantur per infusionem Spiritus sancti. Igitur actus disponentes ad infusionem habitum supernaturalem, sunt cooperantibus solis auxiliis actualibus Gratiæ.

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

QVÆSTIO X.

Vtrum Virtutes Theologicae infundantur successiue?



IDEUM nunquam infundi successiue, sed semper simultaneè. P. Quæ Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. definit. In iustificatione hac omnia simul infusa accipere hominem (utique aduultum, de quo præcipue agit) Fidem, Spem, & Charitatem. Et rursus, Catechumenos petere Fidem ab Ecclesia. Quod fieri non posset, certè heret præposterè, si ad actum Fidei, sine quo Catechumeni esse non possunt, subsequeretur seorsim habitus Fidei ante iustificationem, & infusionem charitatis. Eodem pertinet Clem. vnic. de Sum. Trinit. in qua tanquam probabilius, ac dictis Doctorum consonantius eligitur a Pontifice, sacro approbante Concilio, tam paruulis, quam adultis, conferri in Baptismo Gratiæ, & Virtutes; inter quibus, licet non exprimitur, intelligenda est Fides. Tum quia ea exprimitur occasione eisdem controuersiæ, in cap. Maiores, de Baptismo: Tum quia ea proculdubio, infunditur paruulis, quorum confirmatio, & indiscreta est apud Pontificem causa cum adultis, & tamen adulti tempore antecedenti ad Baptismum, eliciunt actum Fidei, hoc est dispositionem omnium optimam ad habitum Fidei. Subscribit D. Thomas docens 3. p. q. 85. ar. 6. & in 3. dist. 23. qu. 2. art. 3. atque alibi non semel, in Virtutibus non esse ordinem temporis, quoad habitus, propter ipsarum inter se connexionem.

2. Gratiæ sanctificans est radix omnium virtutum supernaturalium, habetque rationem naturæ, & quasi primæ substantiæ. Ergo nulla virtus supernaturalis, vnquam infunditur ante Gratiæ sanctificantem. Ad infusionem autem ipsius necessariò consequuntur ex natura rei omnes virtutes pro eodem instanti. Ergo nunquam successiue, vna post aliam, sed semper omnes simultaneè infunduntur.

3. Ex infusione successiua sequeretur, non esse æqualis semper intensiois in vnoquoque iusto omnes virtutes infusas. Tum quia actus Fidei disponentis ad suum habitum, posset concipi intensior, quam postea actus Charitatis disponentis ad suum: Tum quia idem habitus, dum existeret separatus à Charitate, posset augeri repetitis suis actibus, eadem ratione, qua seorsim infunderetur, & inciperet esse, elicitio primo actus Fidei. Sequela autem communiter censetur absurda, & nullatenus admittenda.

4. Virtutes morales supernaturales non infunduntur ante Charitatem, tamen earum actus eliciuntur ante infusionem Charitatis. Ergo neque habitus Fidei, & Spei infunduntur ante habitum Charitatis, tamen actus Fidei, & Spei, quibus nulla peculiaris dispositio aptior esse potest ad infusionem eorum habitum, eliciuntur prius tempore, quam actus Charitatis.

5. Nulla vis intellectiua existere potest connaturaliter, absque appetitiua eiusdem generis, in quo principio est frequens inter alios D. Thomas. Ergo neque Fides, quæ est virtus intellectiua, existere vnquam connaturaliter potest sine Spe, & Charitate habituali, quæ sunt virtutes appetitiuæ eiusdem generis.

Art. 1. Resp. Certum est, omnes virtutes infundi simultaneè, quibus infunduntur, nulla propria præeunte dispositione; necnon iis, si qui sunt, qui omnes dispositiones necessarias ad omnes tres virtutes exquantur primitus pro vnicò instanti reali. Cōtrouersia

X x 3 igitur



igitur est de iis, quorum dispositio existit successiue, concepto prius actu Fidei, deinde Spei, ac deinde Charitatis, pro diuersis instantibus realibus. Probabilius autem, & absolute verum est, in eo euentu istos habitus infundi successiue, & vnumquemque eorum haberi, cum primum præmittitur actus pertinet ad ipsum. Probatur primò. Quia ex testimoniis indicatis quæst. 8. aliisque similibus, ac facillè obuiis constat, Deum conuerti ad omnes, qui conuertunt se ad ipsum, & quodcumque se conuertunt; neque vnquam negare munera sua dispositionibus nostris, & semper intrare, vbi aperitur ei ianua. Verè autem conuertit se ad Deum, licet non completè, & consummatè, qui ab infidelitate conuertitur ad Fidem, & renunciatis rationibus humanis incipit adherere illustrationi Magisterij diuini, disponitque se ad idem Magisterium dispositione, quoad hoc, completa, & perfecta, dum submittit intellectum auctoritati diuinæ, eamque in perpetuum amplectitur, ac reueretur super omnia alia; atque eo ipso aperit ianuam instructioni diuinæ, quantum homini possibile est aperire. Ergo Deus intrat per eam ianuam, quæ iam aperta est per actum Fidei, licet non adit actus Charitatis, & conuertit se permanentè, ac habitualiter ad credentem; atque adeò infundit habitum Fidei, non alia ratione, quam infundat habitum Charitatis, diligenti ipsum super omnia. Certè non est proprium stantis ad ostium, & pulsantis, vt tanta facta apertione, nulla prorsus sequatur ingredientis dignatio; quia non omnes præterea portæ simul referantur.

Art. 2. Probatur rursus, quia habitus Fidei, & Spei conseruantur absque Charitate, nec intereunt, nisi ratione infidelitatis, & desperationis. Ergo etiam inducuntur habitus Fidei, & Spei, absque Charitate, quando præexistit dispositio ipsorum propria, & peculiaris, nondum existente dispositione proxima ad Charitatem. Antecedens est indubitatum apud omnes, & consequentia patet, quia non apparet munus aliquod speciale, ratione cuius sit necessaria Charitas, potius ad primam infusionem, quam ad conseruationem Fidei, & Spei. Imò ratio necessitatis, quam adhibent aduersarij pro prima infusione, est prorsus eadem pro conseruatione, vt patebit ex responsione, præsertim ad 2. Et causæ contrariæ iis, per quas vnicè, & adæquatè corrumpitur vnaquæque res, censentur communiter iufficientes in eodem genere, ad eandem primitus inducendam: Nempè contrariorum est contraria vniuersaliter vis.

Art. 3. Accedit, rationem, ob quam ex communi etiam Aduersariorum consensu oportuit conseruare habitum Fidei, amissa Charitate, esse, ne desit in homine semen, & principium reparandæ vitæ spirituales, quatenus Fides, vt declarat Conc. Trident. sess. 6. cap. 8. de Iustificat. est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis. Hanc autem rationem manifestè patet æquè militare pro prima adulti, & secunda iustificatione; atque adeò pro prima infusione, & conseruatione habitus Fidei, absque habitu Charitatis.

Art. 4. Probatur tertio ex eadem sess. Trident. cap. 6. vbi ait. *Nam Fides, nisi ad eam Spes accedat, & Charitas, neque vnit perfectè cum Christo, neque Corporis eius viuum membrum efficit.* Certum est Sermonem hîc esse de Fide habituali. Hæc nimirum sola est, & non actus Fidei, quæ, accedente Spe, & Charitate, vnit perfectè cum Christo; hoc est vnione, & adæquata, & stabili, ac permanente, viuumque Corporis eius membrum efficit; de cuius itidem membri viui ratione est forma quantum est ex se permanentis. Certum rursus est apud omnes, non agere Concilium de sola prima hominis antecesser infidelis iustificatione, licet de illa agat præcipue; sed anplecti promiscuè quamlibet

hominis antecesser, siue fidelis, siue infidelis iustificationem, seu primam, seu secundam. Quod aperte colligitur ex contextu Decreti, nec obscure insinuat in Proæmio sess. 14. Consequens autem ad hæc est, eam Spei, & Charitatis antecesser ad Fidem intelligendam esse pro prima hominis antecesser infidelis iustificatione, qualis antecesser verificatur pro secunda hominis antecesser fidelis, & baptizati iustificatione, in qua certum est, habitum Fidei præexistere tempore antecesser ad infusionem Charitatis.

Art. 5. Confirmatur, quia sicut in verbis citatis, dum præcipue agitur de iustificatione per baptismum, dicitur; *Fidem, nisi Spes accedat, & Charitas, nec vnire perfectè, &c.* Ità sess. 14. cap. 6. dum agitur de iustificatione per poenitentiam, simili prorsus modo dicitur: *Nec enim fides sine poenitentia, remissionem vllam peccatorum præstaret.* Præsupponitur ergo vniformis vtrique antecesser Fidei. Cum ergo indubitatum prorsus sit, habitum Fidei reali temporis duratione antecesser, saltem vt plurimum, ad secundam iustificationem, quæ fit per Sacramentum Poenitentiae, & ad ipsum Poenitentiae Sacramentum: indubitatum consequenter esse debet, eundem habitum Fidei, simili antecesser præire, saltem vt plurimum, ad primam adulti iustificationem, quæ fit per Baptismum. Atque ideo sæpè contingere primam habitus Fidei infusionem, absque infusione Spei, & Charitatis. Et quidem nisi hoc concedatur, nunquam continget (quod tamen contingere, haud quaquam obscure supponit Concilium) vt Fides, vtique habitualis, vt liquet ex prima superiori notatione, hominem nondum baptizatum vniat imperfectè cum Christo, & Corporis eius membrum specialiter efficiat, licet non viuum.

Art. 6. Quod dictum est de Fide, accipiendum similiter est, ex omnium consensu, de Spe respectu Charitatis. Infunditur ergo habitus Fidei prius tempore, quam habitus Spei, & vterque hic habitus priusquam habitus Charitatis, quodcumque prius tempore existit ex parte nostra actus Fidei, seu vnio cum Deo, vt Magistro, & vero lumine animi nostri, quam actus Spei, & Charitatis, seu vnio affectiua cum Deo, vt summo bono nostro, & amico; nec minus promptè recipit permanentè Deus in altam, & secretam suam scholam dispositum iam, & præparatum hominem ad illuminationem, ac eruditionem cœlestem, quam recipiat in communicationem bonorum, & amicitiam perfectam, dispositum iam, & præparatum similiter quoad affectum omnem in Deo collocandum.

Art. 1. Ad 1. Concilium Tridentinum quoad peritiam illam priorem, accipiendum est de similitudine eorum quæ infunduntur, quæ videlicet sola confert ad scopum Concilij, non de similitudine infusionis, quæ nihil eiusdem interest; ita vt sensus sit in iustificatione, hæc omnia simul habere hominem accepta per infusionem, Fidem, Spem, & Charitatem, siue infusa fuerint simul, siue seorsim fuerint infusa, & posterius priori adiunctum fuerit; siue vtrumque simul ineeperit inesse homini. Adest exemplum huius intelligentiæ in illa ipsa Clementina, qua vtitur obiectio. Quia sub initium eius statuitur, *Verbum diuinum assumptis partibus nostræ naturæ simul vnitas.* Quod necesse est intelligere de sola similitudine partium assumptarum, & non de similitudine vnionis inter illas, quoad primam eius existentiam. Quia corpus creuit successiue, per vnionem successiuam partium, vt patet. At eandem intelligentiam cogunt efficaciter verba Concilij, quæ immediatè sequuntur, vt apparet ex eorum expensione data in tertia nostra probatione. Posterior peritiam non inuat, sed magis oppugnat aduersarios; quia Concilium non dicit à Cathedra peti Fidem secundum



secundum se; sed manifestè addit; Fidem, quæ per Charitatem operatur, hoc est, Fidem formatam, supponendo utique iam ab ipsis haberi Fidem informem. Deinde id ipsum, quod iam habetur peti potest, ut melius, & perseveranter habeatur, quo pacto petitur à iustis Charitas.

Art. 2. Iam in Clementina illa de Sum. Trinit. non dicitur posse conferri in Baptismo; sed conferri de facto omnibus, tam parvulis, quam adultis, Gratiâ, & Virtutes. Admittunt autem aduersarij, nec negare possunt, non conferri in Baptismo Gratiâ, & Virtutes, quoad primam infusionem; sed tantum quoad augmentum, quando tempore antecedenti præstitit in Baptizato actus Charitatis. Dicatur ergo similiter de habitu Fidei, & Spei, quando præstitit actus earum virtutum; & accipiatur Decisio illa, de collatione Gratiæ, & virtutum cum præfessione à prima, & secunda; & cum distributione accommodata iuxta præsentem dispositionem, & indigentiam cuiusque baptizati.

Art. 3. Denique D. Thomas loquitur de similitudine, & connexione Virtutum in ratione Virtutis; quam ratonem sine Charitate habere non possunt; non verò in ratione qualitatis. Quæ distinctio est familiaris S. Doctori, & notissima in eius schola; & nisi eo modo intelligatur, contradicet aduersariis, etiam & sibi; quia affirmat eam similitudinem, & connexionem vniuersaliter absque vlla exceptione; ac proinde inclusa secunda, etiam hominis antecederet fidelis iustificatio: In qua tamen certum est præexistere Charitati, habitum Fidei in ratione qualitatis, saltem ut plurimum. Contradiceret præterea sibi specialiter, quatenus 2. 2. q. 6. ar. 2. ad 3. disertè docet, Aliquando infundi F. d. m. ante Charitatem. Infusio enim simpliciter; & absolute dicitur inter Scholasticos, de habitu potius, quam de actus; & actus Fidei non aliquando, sed semper, aut ferè semper antecedit Charitatem etiam tempore.

Ad 2. Dicitur est supra quæst. 8. Gratiâ Sanctificantem esse primam radicem, & habere rationem naturæ respectu Virtutum omnium infusarum positivè, non verò negativè; ita ut sine ipsis nunquam illa existat; existant tamen aliquando aliquæ Virtutes sine ipsa, ex natura rei. Idque confirmatur vltèrius, quia nisi hoc dicatur, dicendum est tam frequenter, & ordinariè contingere miracula, quam frequens, & ordinarium est, ut peccent lethaliter, qui fuere iusti, quin amittant Fidem, & Spem. Toties enim hi habitus perseverarent miraculosè absque sua prima radice, ac velut natura, & substantia, cuius sunt velut proprietates connaturales. Licet autem non vereantur Card. de Lugo, & Ripalda admittere istam tantam frequentiam miraculorum subsequenter lege invariabili ad existentiam solam peccatorum, durum tamen est, & contra communem persuasionem, rationemque miraculi, ut admittatur, præsertim pro remissione, seu non infictione poenæ debitæ peccato personali, absque vlla satisfactione, aut dispositione ex parte peccatoris, & cui non displiceat, oportuisse, ut Deus conferret in homine peccatore habitus Fidei, & Spei, sine Charitate, usque adeò frequenter: & eos nihilominus habitus, cum sint proprii hominis peccabilis, non esse tales, ut connaturaliter ita conservari possint, cum Providentia diuina vnicuique pronideat accidentia ex sua natura disposita ad omnem eventum, pro quo oportet, ut illi insint, & inseruiant.

Ad 3. Admittunt sequelam Coninck, & alij, nec in ea apparet magna aliqua absurditas: Negatur tamen melius, quia actus disponens ad habitum Fidei consistit in indivisibili, secundum conceptum dispositionis. Quia quilibet actus Fidei repugnat cuilibet, etiam

minimo recessui ab auctoritate, & revelatione diuinâ, ideoque inducit summam hominis unionem cum illis. Ratio autem meriti de condigno, quæ sola præterea superest, potens inducere infallibiliter augmentum in principio, aut progressu, nulla dari potest sine Charitate. Idem dicitur in modo de Spe. De dispositione autem Charitatis, est longè diuersa ratio, & liquet ex dictis quæst. 7. ad 2. & 3. Ergo habitus Fidei, & Spei, tamen existere seorsum possunt absque Charitate, augmentum tamen nullum nasci possunt absque augmento Charitatis.

Ad 4. Cum Virtutes morales non versentur immediate circa Deum, non continent in se directè, & immediate unionem Dei cum homine, ideoque non infunduntur à Deo, sicut neque conferuntur dependentè à dispositione peculiari in ordine ad ipsas. Unde nulla est paritas pro Fide, & Spe, ut apparet ex dictis in hac quæstione, & quæst. 8.

Ad 5. Esto repugnet ex natura rei Virtus intellectiva practica etiam accidentaliter, absque aliqua appetitiva, circa idem obiectum; non tamen repugnat, ut sit absque aliqua alia, tamen maxime sibi proportionata, pro aliquo tempore: sicut nec repugnat Virtus appetitiva naturaliter separabilis pro aliquo tempore ab aliqua intellectiva sibi secundum se maxime proportionata; ut patet in Charitate destituta lumine gloriæ, dum adest Fides. Est autem æqualis indifferentia physica habitus Fidei ad sola auxilia actualia pro actibus Spei, & Charitatis, quorum consortium nunquam illi negatur, suborta opportunitate operandi, & ad habitus Spei, & Charitatis impediibiles peccatis, aut indispositione non impediuntibus habitum Fidei.



## QVÆSTIO XI.

*Vtrum Virtutes Theologica augeantur per suos actus?*



IDEVR non augeri. 1. Quia perfectio Virtutis Theologicæ consistit in indivisibili; in eo videlicet, ut feratur in Deum super omnia, per omnes suos actus, cui modo attingendi, obiectum nulla vltèrius perfectio superaddi potest. Repugnat ergo, ut virtus Theologica augeatur.

2. Si augerentur Virtutes Theologicæ per suos actus, minuerentur per actus oppositos; utpote tantumdem valentes nocere, quantum illi prodesse possunt. Non autem minuuntur per actus oppositos; sed vel penitus destruantur, si actus sint graviter peccaminosi, vel in eodem statu permanent, si actus sint leviter peccaminosi, ut dictum est quæst. 6. Ergo neque augentur per proprios actus.

3. Omnes Virtutes infusæ sunt connexæ mutuo, quoad gradus intensiōis. Ergo non possunt Virtutes Theologicæ specialiter augeri per proprios actus, potius quam per actus Virtutum moralium.

Art. 1. Resp. Certum est ex fide, Virtutes Theologicas esse capaces augmenti, atque de facto augeri, desinente id apertè Tridentino ex clarissimis Sacrae paginae testimoniis, & precibus Ecclesiae sess. 6. cap. 10. necnon cap. 7. & can. 32. Istud porro augmentum duplici ex capite unusquisque nascitur. Nimirum ex dispositione præeunti ad infusionem virtutum; & ex cooperatione consequenti ad eandem. Quod enim quilibet melius, & ferventiùs, aut disponitur ad istas Virtutes, aut iisdem iam habitis cooperatur, eò maius nascitur incrementum iustitiæ, & Sanctitatis,

Xx 4 ideæ,